



§. I.



*Acilius de tempore adventus, jam præterito, quam de divinitate Messiana ex Vet. Test. hodiernos Iudeos convinci posse, præcipuo loco, inter κενώμενα atque postulata, quæ nova Theologia, invitis aliis, studiosæ juventuti propinat, eminet. Non negamus, verba sunt D. G. C. th. 13. dissert. de Myst. Tr. esse in Veteri T. loca, in quibus manifesta [de divinitate Messie] indicia contineantur, & quæ, ubi de illo ex Novo T. clare constiterit, ad ipsum recte accommodari, & de illo exponi possint: tantum negamus, se seposita autoritate librorum N. T. solitaria capiantur, ad convincendos pertinaces adversarios, quales imprimis sunt Iudei, idoneæ sive sufficientia esse. Et paucis interjectis: Monemus, inquit, convincendos esse Iudeos, de tempore adventus Messie dudum præterito, & ex Scriptura Veteris Testamenti convinci posse. Vbi igitur agnoverint, Messiam venisse, urgendos esse, ut porro agnoscant, alium non esse, nec esse posse, quam nostrum Iesum, qui a tot gentibus, & per tot secula agnitus sit Messias, præsertim cum toto terrarum orbe nullus alius inveniatur, qui hunc honorem vel sibi ipse arroget, vel cui alii tribuant. Vbi admiserint, Iesum esse Messiam, oportet eos itidem admittere, vera esse, quæ de semetipso & Patre suo, & Spiritu S. & c. docuerit.*

§. II. At quanta hæc est, ne quid dicam: gravius, in valorem intrinsecum & θεόπνευστον, Codicis V. T. injuria? quæ proscriptio & relegatio Mosis ac Prophetarum ex Ecclesia DEI, quasi sint inepti & idonei testes ad convincendam degenerem gentem suam, de illius dogmatis certitudine, quam mediante verbi revelati & in scripturas redacti explanatione, olim ipsis tradidisse constat. Quis enim